Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8269
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



communem opinionem propugnat Fra: Sonsbec:
in 9. part: com: feud: n. 113. quemputo cuiuis
veritatis amatori satisfacturum quam opinionem
& ego tanquam veriorem & aequiorem aliquoties
consulendo sum sequutus, non attenta communi
opinione, quae utcunque magnae sit existimationis,
tamen & falli potest & falsissima saepe numero
(: quod demonstratione non indiget, cum sit
manifestissimum :) inuenta est. Nuperrime
cum in lucem aediti essent Doctissimi & di-
ligentissimi Iurisconsulti Iul: Clar: Alexan-
drini, aliquot in Iure ciuili tractatus, reperi illum
quoque lib. 4. in §. feudum quaest: 80. vers: sed
quid e conuerso dict: hanc nostram + opinionem
asserere: etsi enim ibidem quoque fateatur, supe-
riorem esse communem, tamen mox subiungit
haec uerba, sed tamen mihi semper fuit visa
dura, saltem quando agitur inter foeminam ip-
sam, quae sola superest ex progenie primi in-
uestiti & Dominum bene posset procedere text:
in 4. §. quin etiam & communis opinio, quan-
do ageretur inter foeminam & alium agnatum,
in casu in quo masculi & foeminae vocati
in inuestitura secundum gradus proximitatem,
ut proximis annis contigit disputari in quodam
feudo in partibus pedemontium, sed quo ad ipsum
Dominum crederem absolute, quod existente
foemina scilicet per masculum exclusa, quae
esset ex vocatis in inuestitura feudum non
aperiretur

+ contrariam